

1320

OFFICIUM
SANCTISSIMI
CORDIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

RECITANDUM IN HISPANIA

ex Apostolico indulto Feria sexta post Octavam
Corporis Christi.

AD VESPERAS.

Antiph. De torrente in
via bibit : propterea exal-
tavit caput.

PSALMUS 109.

Dixit Dominus Domino
meo : * Sede a dex-
tris meis.

Donec ponam inimicos
tuos : * scabellum pedum
tuorum.

Virgam virtutis tuae emit-
tet Dominus ex Sion : * do-
minare in medio inimico-
rum tuorum.

Tecum principium in die
virtutis tuae in splendori-
bus sanctorum : * ex utero
ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non
poenitebit eum : * tu es Sa-
cerdos in aeternum secun-

dum ordinem Melchisedech.
Dominus a dextris tuis
* confregit in die irae suae
reges.

Judicabit in nationibus,
implebit ruinas : * conquas-
sabit capita in terra mul-
torum.

De torrente in via bibit.
* propterea exaltabit caput.

Antiph. De torrente in
via bibit : propterea exalta-
vit caput.

Antiph. Misericors Domi-
nus, redemptionem misit
populo suo.

PSALMUS 110.

Consitebor tibi Domine
in toto corde meo : *
in consilio justorum, et con-
gregatione.

Magna opera Domini :
A * ex-

* exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio, et magnificentia opus ejus: * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suorum annuntiabit pópulo suo.

Ut det illis hereditatem Géntium: * ópera mánuum ejus, veritas, et judicium.

Fidélia ómnia mandata ejus confirmata in sæculum sæculi: * facta in veritate, et æquitate.

Redemptionem misit pópulo suo: * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus: * initium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Antiph. Miserátor Dóminus, redemptionem misit pópulo suo.

Antiph. Apud Dóminum

misericórdia, et copiósa apud eum redemptio.

PSALMUS 129.

DE profúndis clamávi ad te Domine: * Domine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observáveris Dómine: * Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: * speravit ánima mea in Dómino.

A custódia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * et copiósa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Antiph. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redemptio.

Antiph. Super misericórdia tua Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.

PSAL-

PSALMUS 137.

Confitebor tibi Dómine in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitebor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritate tua, * quoniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicabis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ: * quia audierunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est glória Dómini.

Quoniam excelsus Dóminus, et humilia respicit: * et alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dóminus retribuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum: ópera

manuum tuárum ne despicias.

Antiph. Super misericórdia tua, Dómine, confitébor tibi in toto corde meo.

Antiph. Suávis Dóminus univérsis, et miseratiónes ejus super omnia ópera ejus.

PSALMUS 144.

Exaltábo te Deus meus Rex: * et benedicam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: * et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio, et generatio laudábit ópera tua: * et potentiam tuam pronuntiábunt.

Magnificentiam glóriæ sanctitatis tuæ loquéntur: * et mirabilia tua narrábunt.

Et virtutem terribilium tuórum dicent: * et magnitudinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitatis tuæ eructábunt * et justitia tua exultábunt.

A 2

Mi-

⁴
Miserátor, et misericors
Dóminus: * pátiens, et mul-
túm misericors.

Suávis Dóminus univer-
sis: * et miseratiónes ejus
super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómi-
ne ómnia ópera tua, * et
sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent:
* et poténtiam tuam loquen-
tur.

Ut notam fáciant filiis
hóminum poténtiam tuam:
* et gloriam magnificentiæ
regni tui.

Regnum tuum, regnum
ómnium sæculorum: * et
dominatio tua in omni ge-
neratióne, et generatióne.

Fidélis Dóminus in óm-
nibus verbis suis: * et sanc-
tus in ómnibus opéribus
suis.

Allevat Dóminus omnes
qui corruunt: * et erigit om-
nes elisos.

Oculi ómnium in te spe-
rant Domine: * et tu das
escam illórum in témpore
opportúno.

Aperis tu manum tuam:
* et implet omne animal be-
medictióne.

Justus Dóminus in ómni-
bus viis suis: * et sanctus
in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus óm-
nibus invocántibus eum: *
ómnibus invocántibus eum
in veritate.

Voluntatem timentium se
fáciat, * et deprecationem
eórum exaudiet: et salvos
faciet eos.

Custódit Dóminus omnes
diligentes se, * et omnes pec-
catores disperdet.

Laudationem Dómini lo-
quétur os meum: * et be-
nedicat ómnis caro nó nisi
sancto ejus in sæculum, et
in sæculum sæculi.

Antiph. Suávis Dominus
univérſis, et miseratiónes
ejus super ómnia ópera ejus,

Capitulum. Cant. 3. 11.
E Gredimini, et videte,
Filie Sion, Regem
Salomonem in diadémate,
quo coronávit eum mater
sua in die desponsatiónis
ejus, et in die lætitiæ Cor-
dis ejus.

5
HYMNUM.

Quicumque certum quæritis,
Rebus levámen ásperis:
Seu culpa mordet ánxia,
Seu poena vos premit comès,
Jesu, qui ut agnus innocens,
Sese immolándum trádedit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.
Auditis ut suavissimis
Invitet omnes vóçibus!
Veníte quos gravat labor,
Premittque pondus criminum,
Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant
Excúsat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.
O Cor, volúptas cœlitum,
Cor fida spes mortálium,
En hisce tracti vóçibus
Ad te venimus súpplices.
Tu nostra tetge vúlnera
Ex te fluente sanguine:
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes invocant. Amen.

V. Miserátor, et miseri-
cors Dóminus.

R. Longánimis, et mul-
tum misericors.

AD MAGNIFICAT.

Antiph. Misericordia Dó-
mini á progénie in progé-
nias tíméntibus eum. Alle-
luja.

Oratio.

FAc nos, Dómine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtútibus indui, et afféctibus inflammari: ut et imaginí bonitátis tuæ conformes, et tuæ Redemptionis mereámur esse participes. Qui vivis, et regnas, &c.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Cor Jesu, charitatis victimam: * Venite, adorémus.

Psalm. Venite, exultémus Dómino.

Hymn. Quicumque certum quæritis, ut supra ad *Vesperas*.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

PSALMUS 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti: * longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exáudies; * et

nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas; * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberasti eos.

Ad te clamavérunt, et salví facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Dómino, eripiat eum, * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projectus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: * ne discesseris á me.

Quóniam tribulatio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os

suum:

suum: * sicut leo rápiens, et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * et dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis, * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignántium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxilium tuum à me: * ad defensionem meam cónspice.

Erue à frámea Deus animam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * et à cónibus unicórnium humilitátem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiæ laudábo te.

Qui timetis Dóminum, et laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despexit deprecationem páuperis.

Nec avertit faciem suam à me, * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent páuperes, et saturabuntur, et laudábunt Dóminum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Remiscentur, et convertentur ad Dóminum: * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus * universæ familiæ Gentium.

Quoniam Dómini est regnum, * et ipse dominábitur Gentium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino ge-

ne-

neratio ventura : * et annuntiabunt coeli justitiam ejus pópulo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Speravit Cor meum in Dómino, et adjutus sum : et reflóruit caro mea.

PSALMUS 27.

AD te, Domine, clamabo, Deus meus ne sileas à me : * ne quando taceas à me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Dómine vocem deprecationis meae, dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo : * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secúndum opera eorum : * secúndum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secúndum ópera manuum eorum tribue illis : * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt ópera Dómini, et in ópera manuum ejus * destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dóminus : * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dóminus adjutor meus, et protector meus : * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suae : * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et benedic hereditati tuae : * et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Añsa. Speravit Cor meum in Domino, et adjutus sum : et reflóruit caro mea.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me lætitia.

non delinquent omnes qui sperant in eo.

Antiph. Gustáte, et videte, quóniam suavis est Dóminus : beatus vir, qui sperat in eo.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prosperè procede, et regna.

PSALMUS 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velóciter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in lábiis tuis : * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua, * intende, prosperè procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, pò-

puli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrra et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te filiae regum in honore tuo.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato : * circumdata varietate.

Audi filia, et vide et inclina aurem tuam : * et obliviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiae Regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximas ejus afferéntur tibi.

Afferentur in lætitia, et exultatione: * adducuntur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Mémores erunt nómínis tui: * in omni generatione, et generationem.

Propterea pópuli confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Antiph. Judicabit pópulum in justitia, et páuperes in iudicio.

PSALMUS 71.

Deus iudicium tuum regi da, * et justitiam tuam filio regis.

Judicare pópulum tuum in justitia, * et páuperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem pópulo: * et colles justitiam.

Judicabit páuperes pópuli, et salvos faciet filios páuperum: * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione, et generationem.

Descendet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicidia stillántia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: * donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari usque ad mare: * et à flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo prócident Æthiopes: * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insularum múnera offerent: * rege Arabum, et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: * omnes Gentes servient ei:

Quia liberabit páuperem à potente, * et páuperem, cui non erat adjutor.

Parcet páuperi, et inopí: * et ánimas páuperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet ánimas eorum: * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: * tota die benedicent ei.

Et

Lectio iv.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: * et florebunt de civitate sicut foenum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula: * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabilia olus.

Et benedictum nomen ajetatis ejus in æternum: et replébitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Antiph. Judicabit pópulum in justitia, et páuperes in iudicio.

℣. Mihi autem adhære Deo bonum est.

℞. Pónere in Dómino eo spem meam.

Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

℣. Jube Dómine benedicere.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes à te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos: Tu dixisti accedéntibus ad te: Gaudete, quia nómína vestra scripta sunt in Coelo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus et lætabor in te, mémores Cordis tui. O quàm bonum, et quàm jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omnem cogitatum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℞. Introduxit me Rex in cellaria sua: ordinavit in me charitatem, * Fulcite me flóribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Sub umbra illius, quem desideráveram, sedis: et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Fulcite me.

Lectio

Lectio v.

AD hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Dómini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admittite tantum in Sacramentum exauditionis tuæ preces meas; immò me totum trahere in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me; ut purificatus per te purissimum, possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

R. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa die: * Confitemini Dómino, et invocate nomen ejus.

ψ. Ecce Deus Salvator meus fiducialiter agam, et non timebo.

Confitemini.

Lectio vi.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis pateat intróitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterioribus perturbatióibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligit? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ fodérunt manus, et pedes, latus, et Cor. Stemusque, ut cor nostrum durum adhuc, et impenitens amoris sui

vii-

vinculo constringere, et jáculo vulnerare dignetur.

ψ. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, * Et spiritum meum ponam in medio vestri.

ψ. Effundam super vos aquam vivam; et mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris.

Et spiritum meum.

Gloria Patri.

Et spiritum meum.

IN III. NOCTURNO.

Añ. Misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dóminus.

PSALMUS 83.

QUàm dilecta tabernacula tua Dómine virtutum! * concupiscit et déficit ánima mea in atria Dómini.

Cor meum et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Dómine vir-

tutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Dómine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo dispósuit, in valle lacrymarum, in loquem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super milia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dóminus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Dómine virtutum,

C

bea-

beatus homo qui sperat in te.

Antiph. Misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dóminus.

Antiph. Dóminus dabit benignitatem, loquetur pacem in plebem suam.

PSALMUS 84.

Benedixisti Dómine terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: * operuisti omnia peccata eórum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Convérte nos Deus salutaris noster: * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Ostendé nobis, Dómine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiám quid loquatur in

me Dóminus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúntamen propè timentes eum salutare ipsius: * ut inhábitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviavérunt sibi: * iustitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et iustitia de coelo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: * et ponet in viam gressus suos.

Antiph. Dóminus dabit benignitatem, loquetur pacem in plebem suam.

Antiph. Suavis, et mitis es, Dómine, et multæ misericordiæ omnibus invocántibus te.

PSALMUS 85.

Inclina Dómine aurem tuam, et exaudi me: *

quo-

quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi ánimam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Dómine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica ánimam servi tui, quoniam ad te Dómine ánimam meam levavi.

Quoniam tu Dómine suavis et mitis: * et multæ misericordiæ omnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine orationem meam: * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecisti, venient, et adorabunt coram te Dómine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, et ingrediar in verita-

te tua: * latetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo: * et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me, * et eruisti ánimam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexérunt super me, et synagoga potentium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunnt te in conspectu suo.

Et tu Dómine Deus miserator et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Réspice in me, et misere mei, * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui odérunt me, et confundantur: * quoniam tu Dómine adjuvisi me, et consolatus es me.

Antiph. Suavis, et mitis es, Dómine, et multæ misericordiæ omnibus invocántibus te.

¶ Misericordia Dómini ab æterno.

R. Et usque in æternum, super timentes eum.
Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

ψ. Jube Dómine benedicere.

Benedictio. Evangélica lectio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 15. 9.

Lectio vii.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manéte in dilectione mea. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 13. in Cæna Domini.

DE dilectione Dei quod plus bibo, plus sitio: et ea saturari non possum; nec ego, nec aliquis diligens Christum. Ipsa quod plus editur, plus famem exauget: et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inhaucit: ipsam, quam inhábi-

tat mentem, sic inébriat, ut nihil jam quærat, vel diligit, nec diligere possit, nec valeat, præter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum unigénitum daret; ut omnis, qui credit, et diligit illum, non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem auctor ipse inæstimaabilis charitatis invitát: in eo nos manere precatur, et rogat. Ait enim: Manéte in dilectione mea: ac si apertè dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo; eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa à vestra charitate me sejunxit, me diligite; et in mea dilectione manéte.

R. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: * Manéte in dilectione mea.

ψ. Si præcepta mea servaveritis, manébitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Manete.

Lectio

Lectio viii.

SED quáliter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur, et dicit: Si præcepta mea servaveritis, manébitis in mea dilectione: Sicut Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc ópera, Fratres mei, sunt causa dilectionis Christi: unusquisque vestrum videat, si Dóminum Jesum diligere debeat. Quid pro nobis facere debuit, et non fecit? Quomodo nos plus amare potuit, et non amavit? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere, quam habuit: quia animam suam pro nobis posuit. Ipsa beata veritas testis est, quod majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vilescat, Fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo: non nobis vilescat, Fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa charitas Christi.

R. Christus pro nobis

animam suam posuit: * et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

ψ. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Et lavit nos.

Gloria Patri.

Et lavit nos.

Lectio ix.

AMOR Christi totus dulcis, totus delectabilis: suum possessorem non cruciat, sed delectat: non enervat, sed roborat: cuncta terrena subsannat; sola coelestia caprat. Christi mandata requirit, et ea pro vivibus observare contendit: et de observatione præceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, ut cum illis jam perfectè gaudeat, pro cuius desiderio in hac valle lacrymarum positus tam amare frequentè suspirabat. Undè rectè sequitur: Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur; ac si diceret: Ideo præcipio vobis, et moneo vos: mea observare præcepta.

et.

et manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit; et gaudium vestrum de me adimpleatur; ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere: et illud gaudium, quod in retributione praeiorum electi sunt percipere, et possidere possitis.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes.

Antiph. Discite à me quia mitis sum, et humilis corde, et inveniatis requiem animabus vestris.

Psalm. Dominus regnavit, cum reliq. de *Laudibus Dominice.*

Antiph. Suavis est Dó-

minus, et in æternum misericordia ejus.

Antiph. Sitivit in te anima mea; quia melior est misericordia tua super vitas.

Antiph. Sancti, et humiles corde, benedicite Dómino: Laudate, et superexaltate eum in sæcula.

Antiph. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo: et exaltabit mansuetos in salutem.

Capitulum. Cant. 3.

EGredimini, et videte, Filia Sion, regem Salomonem in diadémate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus, et in die lætitiæ Cordis ejus.

HYMNUS.

Summi Parentis Filio,
Patri futuri sæculi,
Pacis beatæ Principi,
Promamus ore canticum.
Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urens ignibus
Ipsam qui amantem diligunt,

Je-

Jesu doloris víctima,
Quis te innocentem compulit,
Dura ut apertum lancea
Latus patéret vulnere?
O fons amoris inclite!
O vena aquarum límpida!
O flamma adurens crimina!
O Cordis ardens charitas!
In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut úberi
Dono fruamur gratiæ,
Coelique tandem præmiis.
Semper Parenti, et Filio.
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula. Amen.

ψ. Misericordia Dómini ab æterno.
R. Et usque in æternum super timentes eum.

Ad Benedictus.

Antiph. Per viscera misericordiæ suæ visitavit nos Deus, et fecit redemptionem pópuli sui: Alleluja.

Oratio.

FAc nos, Dómine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammarí: ut et imáginí bonitatis tuæ conformes, et tuæ Redemptio- nis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Ad Primam.

Antiph. Discite à me: *R. br.* Christe Fili Dei vivi, * Misere nobis. Christe.

ψ. Per quem salvati, et liberati sumus. Misere. *Gloria Patri. Christe. ψ.* Exurge Christe: *R.* Et libera nos.

Ad Absol. Capit.

Lect. br. Improperium expectavit cor meum, ut *infra ad Nonam.*

Ad Tertiam.

Antiph. Suavis est Dóminus.

Ca-

Capitul. Egredimini, ut ad Laudes.

R. br. Misericordia tua Dómine, * plena est terra. Misericordia tua.

V. Justificatiónes tuas doce me. Plena est terra. Gloria Patri. Misericordia tua Dómine.

V. Secundum misericordiam tuam vivifica me, Dómine.

R. Et custodiam testimonia oris tui.

Ad Sextam.

Antiph. Sitivit in te.

Capitulum. Cant. 8. 6.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors, dilectio.

R. br. Secundum misericordiam tuam, * vivifica me, Dómine. Secundum.

V. Et custodiam testimonia oris tui. Vivifica me, Dómine. Gloria Patri. Secundum misericordiam.

V. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

R. Et doce me justificatiónes tuas.

Ad Nonam.

Antiph. Beneplácitum.

Capitulum. Psalm. 68.

Impropérium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: qui consolaretur, et non invéni.

R. br. Fac cum servo tuo * secundum misericordiam tuam. Fac cum servo tuo.

V. Et justificatiónes tuas doce me. Secundum misericordiam tuam. Gloria Patri. Fac cum servo tuo.

V. Veniat super me misericordia tua, Dómine.

R. Salutare tuum, secundum elóquium tuum.

In ii. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

V. Misericordia Dómini á progenie in progenies.

R. Timentibus eum.

Ad Magnificat.

Antiph. Suscepit nos Dóminus in sinum, et Cor suum, recordatus misericordie suæ. Alleluja.

Oratio, ut supra.

PIUS

PIUS PP. VII.

AD FUTURAM

REI MEMORIAM.

Expositum nobis nuper fuit pro parte carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi VII Hispaniarum Regis Catholici, quod ipse ad magis, magisque confovendam, augendamque devotionem erga sanctissimam Passionem Domini nostri Jesu Christi, Officium cum Missa sacratissimi Cordis Jesu jam aliàs approbatum pro Regnis Portugaliæ, et Algarbiorum recitandum, et respectivè celebrandum Feria VI post Octavam Solemnitatis SSmi. Corporis Christi ab universo Clero tam sæculari, quam regulari ritu duplici secundæ classis, extendi ad omnia Regna, et Ditiones prædictæ Majestatis suæ summoperè desiderat. Nobis propterea ejusdem Majestatis suæ nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, ac, et infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Majestatis suæ votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et omnes ac singulares personas, quibus præsentis nostræ Litteræ favent, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis á jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum seriè absolvi, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, referente dilecto Filio Magistro Sala, Secretario Coadjutore Congregationis venerabili-

bilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, Officium cum Missa sacratissimi Cordis Jesu jam aliàs approbatum pro Regnis Portugaliæ, et Algarbiorum recitandum et respectivè celebrandum Feria VI post Octavam Solemnitatis SSmi. Corporis Christi ab universo Clero tam sæculari, quam regulari ritu duplici secundæ classis, ad omnia Regna, et Ditiones Hispaniarum Majestati suæ subjectas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extrâ adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII Decembris MDCCGXV, Pontificatus nostri anno decimo sexto. = R. Card. Braschius de Honestis.

SUPERIORUM PERMISSU.

POMPELONE: APUD VIDUAM JOSEPH. RADA.

Membri del com.
no. 1. 2. 3. 4. 5.
6. 7. 8. 9. 10.
11. 12. 13. 14. 15.

Illegible handwritten text, possibly a signature or list of names.

Faint, illegible markings or text, possibly a stamp or signature.

Faint, illegible markings or text, possibly a signature or stamp.